

001

Cantabris peculiaris est murum multitudo, quam saepe pestifera lues subsecuta est. Quod Romani quoque in Hispania experti sunt, ita ut mercede conduxerint qui mures certo numero venarentur aegreque ita evaserunt malum. Accedebat enim aliarum rerum et frumenti inopia, cum ob locorum difficultatem e Gallia aegre commeatum afferrent. Cantabrorum pervicaciae id quoque fertur exemplum: quosdam eorum captos et in crucem suffixos paeanam cecinisse. Plurimi denique Hispanorum mores feritatem quandam indicant.

002

Quidam Cantabros perhibent nihil de diis sentire; Celtiberos autem innominatum quendam deum noctu in plenilunio ante portas, cum totis familiis choreas ducendo totamque noctem festam agendo, venerari. Et Vettones, quo tempore primum in Romanorum venerunt castra, cum quosdam centuriones viderent deambulandi causa viam hac illac flectere, opinatos insanire homines, duces se eis ad tabernacula praebuisse. Putabant enim aut in tabernaculo quiete sedendum, aut pugnandum esse.

003

Praeter hos tam absurdos mores, multa ficta et narrata sunt fabulosa cum de omnibus in universum Hispanicis populis, tum praecipue de septentrionalibus, non solum ad fortitudinem pertinentia, sed ad crudelitatem etiam et furorem ferarum similem. Bello Cantabrico matres liberos suos necarunt ne in hostium manus pervenirent; et puer parentes fratresque captos et vinculis constrictos omnes interfecit, ferrum nactus, mandante patre. Itemque mulier quaedam una secum captos filios interfecit.

004

Olim serpens quidam nocte in domum irrepsit, ubi quattuor iuvenes humi cubabant. Minimum aetate feriit primum dente venenato. Ululantis clamore pater expergefactus, accurrit opitulaturus. Serpentem vidit simul, simul eius ictum sensit. Interea, dum quo mortiferam beluam trucidaret instrumentum circumspicit, alii tres filii mordentur. Cum festinatione diligentiaque maxima medicamentum suppetitur sauciis, sed fructu prorsus nullo: postridie enim pater quaternis cum filiis occubuit.

Elementi di valutazione

Riconoscimento forme grammaticali	20%
Riconoscimento struttura sintattica	20%
Riconoscimento lessico	30%
Riconoscimento pensiero	30%